

CAP. II.  
DE  
EXEGETA ET EJUS REQUISITIS.

## §. I.

**S**I studium Biblicum latius capiatur , quilibet Christianus homo Exegeta dici potest , quatenus Scripturam in proprium usum tractat : atque adeo quilibet Christianus ex nostra hac disciplina aliquid in suos usus convertere potest . Quod si vero stricte illud accipiatur , tum illi saltem Exegetæ dicendi sunt , qui aliis recludere sensum Scripturæ , eandemque applicare ad usus Ministerii sacri , ideoque accuratius omnia & cum debito apparatu tractare debent , nempe Docentes . *Act. VIII,* 31. Ad hos igitur præsertim respicimus , ita tamen , ut pleraque , suo modo etiam ad lectores Bibliorum quosvis applicari possint .

§. II. Exegeta igitur est , qui debitiss requisitis instructus tractationem Scripturæ sacræ legitime suscipit . Requisita autem Exegetæ vel generalia sunt , (quæ in quemvis Scripturæ lectorem conveniunt , ) vel specialia . Generalia sunt :

- 1) animus a præjudiciis liberatus , isque in Scripturam sensum non inferens , sed in ea quærens , & ex ea efferens :
- 2) animus submissus vocem Dei , & judicia eorum , qui juxta ordinem , a Deo constitutum , Scripturam explicant , auscultans :
- 3) animus recte ordinatus , h. e. supra ordinem , a Deo